I. N. J.

DISPVTATIO INAVGVRALIS IVRIDICA

DE

DESERTORIBVS ET TRANSFVGIS

Von

ausgeriſſenẽ Soldaten und Uberläuffern.

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DN. GVILIELMO HENRICO

DVCE SAXONIAE, IVLIAE, CLIVIAE, MONTIVM, ANGARIAE
ET GVESTPHALIAE ET RELIQVA

EX DECRETO ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

PRAESIDE ILLVSTRI

CHRISTIANO VVILDVOGELIO

ICTO FAMIGERATISSIMO

SERENISS. DVCIS SAXO-ISENACENSIS CONSILIARIO STATVS INTIMO
CVRIAE PROVINCIALIS COMMVNIS, ET SCABINATVS ASSESSORE
DIGNISSIMO, NEC NON COLLEGII IVRIDICI SENIORE GRAVISSIMO,
IVR. PVBL. ET FEVD. ITEMQVE COD. ET NOVELL. ANTECESSORE
ORDIN. CELEBERRIMO

PATRONO SVO, OMNI CVLTV ATQVE OBSERVANTIA DEVENERANDO

PRO SVMMIS IN VTROQVE JVRE HONORIBVS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS RITE ET LEGITIME CONSEQVENDIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT

PETRVS DUVERNOY,

MONTISBELGARDENSIS.

AD DIEM NOVEMBR. HORIS ANTE ET POMERID.

ANNO MDCCXIV.

Digitized by Google

Digitized by Google

ALma Themis nuper Jenæ ſua caſtra reviſens
Invenit multos deſeruiſſe loca:
Ingemit: aſt fortem dum mox DVVERNOT cernit
Pugnare, & firmo ſigna tenere pede,
Hunc ego condigno mactabo, dixit, honore
Et meritæ palmæ præmia larga dabo.

Nobiliſſimo Jurium Candidato de Deſertoribus & transfugis erudite diſputanti ita votive acclamat

PRÆSES.

DESERIMVR votis; nil non mortale tenemus:
Ars ſtruere æternos ſola parata lares:
Quæ TE quum merito iam dudum mactet honore,
Eius TE MANEANT præmia ſumma, precor.

Guil. Hieronymus Brucknerus,
D. & P. P.

Digitized by Google

WAß Francreich allezeit gelehrte Män-
ner zeuget/
Sehn wir HOCHEDLER vor an-
dern auch an Dir.
Daß eines Frantzen Ruhm in Deutſchland
höher ſteiget
Das ſtellt die Sais uns an deinem Bey-
ſpiel für/
Und daß du dieſes Ruhms vor vielen werth
geweſen /
Das kan die Folge-Zeit aus dieſen Blättern
leſen.

gratulabundus ſcr

I. C. S. C.

KLug und geſchickter Geiſt / der Tugend
Auffenthalt
Die der Geſtirne Krafft in Deine Bruſt ge-
ſencket;
Das edle Feuer ſo in Deiner Seelen wallt

Und

Digitized by Google

Und mit vermehrter Glut ſich ſtets zur Sonnen lencket/
Treibt meinen ſchlaffen Geiſt durch ſeine Strahlen an/
Nach deiner Tugendloh mein blödes Aug zu ſchicken
Um was dir mit dem Fleiß verbundne Tugend kan
In deiner Trefflichkeit zur Folge zu erblicken:
Es fiedert ſich mein Geiſt und folgt dem Triebe nach
Der von Dir kluger Freund in meiner Seelen wircket/
Allein er findet ſich zu ſchwach/ ach allzu ſchwach!
Den Glantz der Weißheit der ſchon ietzt dich hat umzircket
Den hellen Tugend-Strahl ein wenig anzuſehn:
Drüm fliehet er zurück/ und läſt/ um dir zu zahlen/

Was

Was Dein Verdienſt erheiſcht/ nur dieſen Reim ergehn
Scheint ſo die Morgen-Röth/ wie wird die Sonne ſtrahlen.

Mit dieſen hat glückwünſchend ſeine Schuldigkeit darlegen wollen

Ein verbundener Diener.

Digitized by Google

CAP. I.

De Deſertoribus.

ACturus primo de *Deſertoribus*, non incongruè me facturum arbitror, ſi & nominis & rei enodationem repetam, cum non ſolum Grammatici, ſed & veteres JCti, tractatum de re aliqua ſuſcepturi, in inquiſitione vocum fuerint ſolliciti, uti arguunt LL. notisſimæ *L. 51. ff. ad L. Aquil. L. 1. ff. de J. & J. L. 1. ff. de Reb. credit. L. 1. ff. de Pact. & L. 1. de Tutor.* Quod enim derivationi vocis magna inſit vis ac efficacia certum eſt: Nomina quippe ad ipſarum rerum cognitionem quaſi manu ducunt. Et quidem unde Deſertor originem ſortiatur, paucis attingam: ſed non eſt quod operoſe laborem circa inveſtigationem huius vocis, cum nullam aliam invenire liceat, quam in verbo *deſertare* vel *deſerere*, quod idem ſignificat *ac derelinquere* German. verlaſſen / Gallice *deſerter*, *quitter*, *abandonner.*

§. I. Quoad homonymiam vocis Deſertoris, varias hæc agnoſcit ſignificationes. In foro iudiciali, dicitur ille Deſertor, qui ab accuſatione deſtitit. *L. 1. §. 12. ff.*

Digitized by Google

ad SCtum Turpil. item *L. 21. ff. de Inoff. Teſtam.* Sic quoque *deſerere Juramentum* dicitur, nec non *Deſertor Juramenti;* Georg. Chriſt. Peisker. *in Inſtit. Forenſ. cap. XX. §. IX.* In matrimonialibus malitioſus Deſertor vocatur, qui abſens ab uxore & tribus edictis publicis vocatus non comparet. Lauterb. *in Compend. Jur. Tit. de Divort. & Repud.* Diverſas alias hæc vox ſapit ſignificationes, ſed ne moram hic nectere videar, in his quæ hanc Theſin non reſpiciunt, ad genuinam hujus vocabuli definitionem & ſignificationem me convertam.

§. II. Quod igitur ad definitionem attinet, & hac in re militari qui vocentur Deſertores; dico, quod ſint, qui ſtationem ſuam deſerunt, & per prolixum tempus vagantur, diuque abſunt, *L. 5. L. 3. §. 3. L. 4. §. pen. ff. de Re milit.*, ubi per verba, *qui Stationem ſuam deſerunt,* intelligo milites, qui aut invito Duce belli, non ad hoſtes, ſed alio ſe recipiunt, aut iuſte Imperantem non ſequuntur. German. Außgeriſſene. Ærod. *Rer. Judic. Libr. 10. tit. 5. c. 6.*, per verba autem ſubſequentia, *& per prolixum tempus vagantur diuque abſunt.* Cujac. ad *L. 13. §. 6. ff. de Re milit.* quinquiennium indigitari ſtatuit, intra quod, ſi miles ſe non obtuliſſet, apud Romanos pro Deſertore habebatur, pœnamque deportationis luebat; *per dict.* §. Hodie verò quin illud tempus in deſuetudinem abierit, ſane non dubito, ſufficit enim militem è caſtris diſceſſiſſe ſtationemque ſuam ſine venia officialis deſeruiſſe. In Gallia nullo habito reſpectu ad tale prolixum tempus, quocunque in loco milites reperti & adprehenſi fuerint, nares & aures ipſis amputantur, inſigniisque Regis ferro candenti in facie ſignati notatique ad

Gale-

Digitized by Google

Galeras ſeu Triremes, vel ad certum tempus, vel in perpetuum, damnantur.

§. III. Dantur & alii, qui, ut ita loquar, omni exceptione majores non ſunt, hi dicuntur *Emanſores*, & à Deſertoribus in hoc differunt, quod plane Stationem ſuam non deſerant, ſed per tempus aliquod vagati ad caſtra tamen regrediuntur *L. 3. §. 2. ff. de Re milit.* Hi enim ſponte, illi inviti redeunt; hi ſæpius, illi nunquam *L. 4. §. 13. ff. eod.*, quod vario modo contingere poteſt, ſi nempe miles commeatum exceſſerit, & diutius abſit, quam ipſi licet. Verum hi non dicuntur Emanſores, qui valetudine impediti, vel à latronibus detenti, aut alia ſimili cauſa moram paſſi ſunt, quò minus ad caſtra regredi potuerunt, quam tamen cauſam probare tenentur. Sed quæritur, an Haſtæ velitares, vulgò *Partiſans*, ſi ad ſtationem iuſto tempore non revertantur, pro emanſoribus vel deſertoribus haberi queant? cum diſtinctione eſſe reſpondendum mihi videtur, inter eine *commandi*rte Parten/ quæ nimirum commeatu Imperatoris belli munita eſt, & inter eine Mauß-Parten/ Gallic. *un Parti bleu*, quæ ſine venia Ducis belli vagatur; Priori caſu iſti nec Deſertores nec Emanſores, licet ſpatium exceſſerint, dici poſſunt, quia tempus in excurſionibus accurate limitari non poteſt: ſecus verò ſi ſine venia Ducis; excurſiones enim facere capitis ſupplicium meretur, & ſi tales excurſores à magno Quæſitore, Gallic. *le grand Prevôt*, extra caſtra fuerint deprehenſi, nulla eis datur venia; Ratio hujus maxime ſalutaris videtur; nam ſi pro lubitu & ſine licentia cuique militi vagari liceret, quam facillimè milites ad hoſtes tranſire poſſunt,

magnaque exinde confuſio eſſet expectanda, nec leve detrimentum Reipubl. immineret, cum tota illius ſalus, in milite ſit poſita. Hinc: kein geſunder Soldat / ſoll ſich weder im Zug noch in Lager / noch in Beſatzung liegend / außerhalb / oder hintern Heerzuge / ohne richtigen Paß-Zettel / von ſeinem Obriſten / oder hohen Officiren / über eine viertel Meileweges finden laſſen und verſpäten / oder der darüber gefunden wird / ſoll geſtraffet werden / ſancitum, in Chur-Fürſtl. Brandenburgiſ. Kriegs-Recht, *Tit. VII. art. XXXI.* Item ſo bald als umgeblaſen / oder umbgeſchlagen worden / und man ausrücken will / ſoll ein jedweder Reuter und Fuß-Knecht / ſo zu ſeinem Fähnlein geſchwohren / bey demſelben ſich finden laſſen / wer ſolches ohne Vorwiſſen ſeines Officiers nicht thut / ſoll geſtraffet werden. *Art. XXIX. ejusdem Tit.*

§. IV. Præter Deſertores & Emanſores, ſunt & alii, qui dicuntur *Fugientes*, nempe qui turpiter ex acie fugiunt, cum hoſti faciem obvertere, & ad mortem usque pugnare deberent: Apud Romanos moris erat, fugientes captivos non redimere. Liv. *Libr. XXII. c. 58. 61.* cum militibus injunctum ſit, aut vincere aut mori. Cic. *de offic. Libr. 5. f. 344. 1*, quocunque ergo modo fugiat miles in bello, fuga ipſi turpiſſima & periculoſiſſima eſt. Unde Catilina, apud Saluſtium *in Bell. Catill. c. 88.*, ad ſuos dicebat: In fuga ſalutem ſperare, cum arma quibus corpus tegitur ab hoſtibus averteris, ea vera dementia eſt. Apud veteres Germanos, ſcutum reliquiſſe magnum flagitium erat Tacit. *de Morib. German. c. 2.*

Digitized by Google

in fin. apud Lacædemonios, clypeum abiicere, pro ignominioſiſſimo habitum fuit. vid. Camer. *2. Medit. Hiſt. XX. art. 62.* Hinc die Reuter-Beſtallung *de Anno 1570.* ita ſe habet; da einer im Felde von ſeinen Fahnen fleicht/ oder ſonſt heimlich oder öffentlich Flucht machen würde/ der ſoll an Ehr/ Leib/ und Leben geſtraffet werden; da auch andere/ die ſolches ſehen/ derhalben auf unverwendeten Fuß in Beſtellen ſchießen oder ſtechen/ die ſollen daran nicht gefrevelt/ ſondern noch groſſen Danck darzu verdienet haben. Peccat enim utique miles, qui prior in acie fugam facit; Fritſch. *in milit. pecc. Concluſ. 14. L. 6. §. 3. ff. de Re milit.* Græci mirabili poena fugientes afficiebant, quippe tenebantur hi in habitu muliebri per tres dies, coram populo, in foro publico ſedere, ſecundum L. Charondæ.

§. V. Præmiſſis breviter iis quæ ad nomen & definitionem pertinere videbantur, nunc ulterius progredior, nempe ad cauſas. Et quidem primo omnium ſe exhibet cauſa efficiens Deſertionis, quæ conſiſtit in dolo & calliditate, quâ miles contra ſuum ſacramentum, & inſciis his, ſub quorum eſt imperio, militiam deſerit. Deſertio enim eſt ſpecies proditionis. Obrecht. *de Diſcipl. milit. Th. 1093.* Hinc poſſunt Deſertores a quolibet opprimi *L. ult. C. Quando liceat unicuique ſin. Jud.*, ſi nimirum reſtiterint *L. 2. C. de Deſert.* Chriſt. *Deciſ. 46. num. 6.*, & ſi quis illos prodit, is præmium reportat. *L. I. C. eod.* Cum deſertio ſit delictum & quidem publicum, per quod Reſpublica quam maxime læditur, facile enim contingere poteſt, ut miles ſtationem ſuam deſerens, occaſionem hoſti caſtra ingrediendi præbeat, uti varia proh

 dolor!

dolor! patent exempla, in nupero bello contra Gallos ad Rhenum geſto.

§. VI. Milites verò ſunt hi, qui ſacramentum militiæ dederunt, die zur Fahne geſchwohren haben. *argum. L. pen. ff. Ex quib. Cauſ. Major. L. 2. §. 3. ff. de his qui not. infam. L. 2. pr. ubi Gothofr. ff. de Veteran. Grot. Libr. 3. C. XXI.* & in certum numerum relati ſunt, *L. 4. L. 38. §. 1. L. 42. ff. de Teſtam. milit.* vid. Reuter-Beſtallung *de anno 1570. art. 25. in fin.* verbis, die nicht gleich andern / in das Regiſter geſchrieben / und mit Pflichten und gehorſam verbunden ſeyn. add. Damh. *in pr. Crim. c. 38.* quod in Catonis cenſoris filio, qui legione dimiſſa, in exercitu remanſit, conſiderabatur Grot. *Libr. 3. cap. 18.* Hodie antequam quis miles dicatur, ſacramentum dicere, nomen, ut & patriam inſcribere tenetur, vel ſi neſciat ſcribere, id ab officiali peragi ſolet, eique plerumque datur pecunia, quam vocant initialem, Germ. Hand-Geld / Gallic. *Lárgent d' engagement.* Galli tamen non ſemper his ſolemnitatibus utuntur, nam ſi alicui inter pocula perſuadere poſſunt, ut in Regis ſalutem bibat, mira circumventione, idem eſt, ac ſi jam catalogo inſcriptus eſſet? Quid verò in *L. 42. ff. de Teſtam. milit.* per verba *in numeros relati*, intelligatur? disquiritur. Quidam exiſtimant, idem ſignificare, ac in aliquam turmam, vel cohortem, *Compagnie* referri, adeoque nec quem poſſe militem dici, niſi prius in aliquam legionem pervenerit. Interim tamen ſaniori explicatione vocabulum *Numeri*, indigere, videtur, quippe, quod hic per numerum, nihil aliud intelligatur, quam catalogus, in quo nomina, poſt

por-

perfectionem contractus perſcribi ſolent, eſt enim quis miles, quamvis in numeris non ſit, inquit Ulpianus in *L. unic.* §. *2. ff. de Bonor. poſſeſſ. ex Teſtam. Milit.* Gothofredus *ad dictum* §. *2. mihi litera n.* Porro, vocabulum militis, tam equites, quàm pedites complectitur. Nam & equitum & peditum magiſtri, generaliter Magiſtri militum dicuntur. *leg. 1. C. de offic. Magiſt. Milit.* & qui apud Magiſtros equitum ac peditum militiam ſunt ſortiti, eos ordinis militaris eſſe legimus, *in leg. 1. & 2. C. de Appar. Magiſtro. Milit.*

§. VII. Quid dicendum nunc eſt de his, qui honoris, vel exercitii militaris gratia & quidem ſine ſtipendio, in militiam ſe conferunt, vulgo *Volontaires*, poſſunt ne hi, pro militibus haberi? reſpondetur quod ſic, nam licet ſine ſtipendio militent, attamen, cum æque ac alii milites ſtipendiarii omnia officia militaria præſtent, profecto ſunt milites. Sed quæritur, an deſertio in his locum habeat, & an pro lubitu a militia recedere posſint? diſtinguendum eſt, an hi fuerint in ſtatione poſiti, nec ne; priori caſu ſi deſerant, quin pro deſertoribus haberi queant, non dubito, nec hac excuſatione ſe tueri poſſunt, quod libere & ſine ſtipendio arma ferant, ſufficit enim illud ſervitium in ſe recepiſſe, quod ab initio erat voluntatis, ex poſt facto vero neceſſitatis, & volenti non ſit injuria: Secus verò, ſi non fuerunt in ſtatione poſiti, nec in alia neceſſaria expeditione, tunc enim pro lubitu, à militia recedere poſſunt, quia nullum recipiunt ſtipendium, atque ita ſolent paciſci, ut pro lubitu recedere ipſis liceat; at milites ſtipendiarii, non niſi vel bello finito, vel dimisſione honeſta ab officiali

impe-

Digitized by Google

impetrata id facere poſſunt. *l. 2. ff. de Veteran.* Succedit alia quæſtio? An milites, qui ad certum tempus ſervitia militaria ſuſceperunt, illo tempore finito & elapſo, ſi illa deſerant, pro deſertoribus habeantur. Hic iterum diſtinguendum eſt, an cum, vel ſine conſenſu ſuperiorum, hoc acciderit: priori caſu tuti ſunt, modo dimisſionem petierint, vel officialem ſuum de hoc certiorem fecerint, licet facultatem abeundi haud impetraverint: nam conditiones dant pactis legem, nihilque tam naturale eſt, quam eo modo quidve diſſolvi, quo colligatum eſt. *L. 35. ff. de R. J.* Altero caſu, ſi inſcio officiali ſigna deſerunt, non quidem pœna ordinaria, ſed pro circumſtantiarum ratione, puniendi ſunt, quia plerumque in his præſumitur calliditas, qui ſine venia & paſſeporto officialis à militia recedunt, ſæpisſimeque contingit, ut tales milites tempore convento finito, pecuniam ultra ſtipendium acceperint, ad cujus reſtitutionem evitandam, vel potius ne in ejus compenſationem ad ulteriora ſervitia cogantur, facillime diſcedunt.

§. VIII. Cauſa formalis deſertionis, eſt abſentia à militia, invito vel inſcio officiali, ſub cujus imperio militat; Hic non intelligo abſentiam momentaneam, vel tempus aliquod breve, ſed tempus prolixum, quod ſine exceptione deſertionem arguere ſolet. Hi igitur à præſumptione deſertionis tuti ſunt, (ut ſupra monui), qui vel valetudine impediti, vel iter facientes à latronibus capti ſunt, vel alia legitima cauſa detinentur, quò minus ad caſtra regredi posſint, quod tamen illi probare tenentur. In Gallia, ſi militi eundi in patriam, ad certum tempus, vel ad diem, venia conceſſa ſit, tempore

finito,

Digitized by Google

finito pro deſertore habetur, niſi, ut dixi, valetudine fuerit impeditus, neque præter hanc exceptionem ulla alia recipitur, quod mihi tamen nimis rigoroſum videtur. Romanos alias rigidiſſimos diſciplinæ militaris cuſtodes, circumſtantias & hoc in caſu conſideraſſe patet ex *l. 4. §. 15. ff. de Re milit.*

§. IX. Hactenus expoſita definitione militis, & quis talis dicatur: nunc porro perſonæ legendæ conſiderandæ veniunt. Viri ad bellum vocari conſcribique debent, inquit Voët. *de jure milit. c. 2. n. 17.* & quidem apti ad arma ferenda. Uſu romano milites non niſi probati in numeros recipiebantur *l. 1. pr. C. Qui mil. poſſ.* hinc fæminas à militia arceri intereſt, Voët. *de jur. milit. c. 2. n. 17.* fæminæ enim ab officiis civilibus removeri debent. *l. 2. ff. de R. J.* multisque rationibus bello ſunt inidoneæ: Telam & colum & ancillarum curam, eſſe mulierum proprium, bello verò virorum ex Ovid. *Metamorph. XII.* conſtat.

columque
i, cape cum calathis & ſtamina publice turque
Bella relinque viris

& Virg. *VII. Æneid.* ait

Cura tibi Divûm effigies & templa tneri
Bella viri pacemque gerant.

Mulieres quippe ſunt infirmæ & imbecilles corpore, ingenio pavidæ, ancipites conſilio, & rei militaris imperitæ; Ariſtot. *Polit. IV.* De Amazonibus tamen in Scythia, multa memorant hiſtoriæ, quod contra vicinos glorioſe militarint, & de muliere quadam noſtri ævi narratur quod aſſumpto nomine Claus Gernſens von Mittel-

B burg/

Digitized by Google

burg/ 1643. d. Octobr. Amſtelodami militibus ad Orientales Indias ablegandis adſcribi ſe paſſa fuerit, ſed elapſo menſe uno, urinam præter marium conſuetudinem reddens & ſic prodita, ſe excuſaverit, quod maritum ibi diutius commorantem ſequi voluerit, ergaſterio igitur publico, ad menſes aliquot addictam fuiſſe, prout refert Joh. von der Beer/ *Diario ſuo pag. 7.*

Aliud exemplum ex Hafnia die 9. Maii MDCC, ita referebant Novellæ: man hat dieſer tagen abermahlen eine Nordiſche *Amazoine*; in der Königlichen Flotte *attrapi*ret/ welches ein Mägdlein von etwa zwantzig Jahren. Sie hat fünff Monath nach Engelland auf einem Kauffarthey-Schiff gefahren/ und nunmehro drey Monath dem Könige in der Flotte gedienet. Selbige ward am Donnerſtag Mittags vor des Königs Taffel in ihrem überaus ſchönen Matroſen Habit gebracht/ antwortete auf alle Fragen mit Standhafftigkeit/ und bath den König/ daß ſie in Dienſte bleiben möchte/ ſie wolte redlich dienen/ ihr Leben nicht achten/ ſondern es theuer gnug verkauffen/ wuſte auch alle Geräthſchafft eines Schiffs zu nennen. Allein Ihr. Königl. Majeſt. antworteten/ daß es ſich nunmehr nicht ſchicken könte. Unterdeſſen/ hat ſie in wehrenden Dienſte ſich keuſch und unbefleckt gehalten.

Quod ergo fœminæ milites eſſe non poſſint, ex ſupradictis patet; ſed quæritur: annon tanquam lotrices vel quod maritos ſuos in militia ſequantur, tolerari debeant? quod ad libidines & ignaviam pelliciant milites, eosque nummis emungant, id certum eſt. Atta-

men

Digitized by Google

men quamplurimæ hodie reperiuntur in caſtris, præſertim cæſareis, cum quaſi cuique militi uxorem ducere liceat; quod tamen in exercitu gallico ſevere prohibitum, exceptis negotiatoribus, qui exercitui de annona aliisque neceſſariis proſpiciunt. Nam hi cum ſine miniſterio mulierum ſuis negotiis apte proſpicere non posſint, facile ab officialibus hoc privilegium obtinent.

§. X. Excluduntur porro à militia impuberes, cum propter infirmitatem ætatis in armis tractandis vires horum non ſufficiant, Voët. *C. II. num. 20. pag. 73.* Hoc autem inprimis de militibus gregariis procedere exiſtimo, non in officialibus, ſi qui non annis, moribus tamen utrique ſenes, inquiebat Lucius Paulus, teſte Frontino. *Stratagem. Lib. 4. cap. 7. num. 3.*, hinc apud Gallos, *aux ames bien nées, la grandeur n'attent pas le nombre des années.* Apud Romanos obſervare licet, quod impuberes, ex illuſtri familia nati, honoris gratia tribuni creati fuerint, cum poſſent vicarios natu majores, adjutores & conſiliarios adhibere, Gothofr. *ad L. fin. C. de milit. Teſtam.* Alexandri magni exemplum, qui neminem niſi ſexagenarium in ordinibus vel cohortibus ducendis admittebat, tutius laudabiliusque mihi videtur; quippe in illis major eſt authoritas erga milites, quam in juvenibus. Adrianum extollit Spartianus, quod nullum Tribunum, niſi plena barba feciſſet, aut ejus ætatis, quæ prudentia & armis Ttibunatus robur expleret; Unde Valerianus apud Vopiſcum in Probo, miraris, inquit, quod ego imberbem Tribunum fecerim, contra conſtitutum Divi Adriani. Moribus tamen hodiernis quamplurimos in Gallia, ut & in Germania,

 officia-

officiales impuberes me obſervaſſe recordor; datis tamen Vicariis. (3) Nec admittendi ſunt vitioſi, per hos intelligo, mutos, ſurdos, cœcos: mutus enim ſacramentum militare præſtare: Surdus teſſeram: Cœcus, hoſtem à ſocio diſcernere nequit, nec Vexillum, quod ſequi tenetur, videre, itaque hi mortuis ſimiles *l. 29. C. de Teſtam.* (4) In militiam recipiendi non ſunt caſtrati, quibus uterque teſticulus exſectus eſt, nam hi cum animo careant, fœminis quaſi æquiparari poſſent; ſecus verò ſi cum uno teſticulo nati, quive illum amiſerunt, illi namque jure militare poſſunt, *l. 4. ff. de Re milit.* nam hoc non facit, quo minus miles ſuo officio recte fungi nequeat.

§. XI. Quod denique cauſam finalem hujus delicti attinet, illa varia eſt, prout unus vel alter objecto quodam movetur, illudque tanquam bonum appetit, ſecundum axioma illud philoſophicum; nemo appetit malum, qua malum. Milites itaque ſuam ſtationem, vel libertatis recuperandæ, vel ſpe melioris fortunæ, majorisque ſtipendii recipiendi cauſa, relinquunt; ſunt & præter has permultæ aliæ cauſæ deſertionis, quibus miles fortunæ ſuæ putativæ ampliandæ cauſa, ſe allici patitur, licet ſæpius cum extremo vitæ periculo. Hic triſte de quodam milite gallico exemplum enarrare licebit; ille enim jam per annos viginti ſex à tempore deſertionis, domi latitabat, in Ducatu Normandiæ, & tanquam ruſticus terram colebat; accidit autem fato quodam ut ejus Capitaneus, ibidem militum legendorum ergo degens, illum recognoſſet, qui de dimisſione ſeu paſſeporto officialem certiorem reddere non poterat, abſcisſis igitur naribus auribusque ad Galeras damnatus fuit, contra

legum

Digitized by Google

legum diſpoſitionem, quæ delicta XX. annorum ſpatio, præſcribi volunt; hinc illud Grotii, *inter arma ſilent leges.* Aliud exemplum de milite gallico in Flandria degente mihi ſuccurrit. Iſté ſtationem ſuam deſerens, noctis auxilio ad hoſtes ſe recipere volebat; ſed irrito ſucceſſu: cum enim fruſtra tota nocte iter feciſſet, iterum ante fores ejusdem loci, quo exierat, delatus, putat ſe jam ad hoſtes perveniſſe; excubiæ ab illo teſſeram petunt more militari, *qui vive*, Werda? *clamantes*, reſpondet ille? *Deſerteur François*; ſtatim igitur adprehenſus, & ſequenti die patibulo ſuſpenſus fuit, quam tamen pœnam evitare potuiſſet, ſi modo ſe eſſe *Marodeur* reſpondiſſet.

§. XII. Cum verò interſit Reip. ne delicta maneant impunita, & potisſima pars officii magiſtratus in hoc verſetur, ut delicta juſtis afficiantur pœnis, alioquin libera daretur delinquendi licentia, nec tuta eſſet inter improbos innocentia; juſte imponuntur pœnæ delinquentibus, ut illorum timore, cæteri à criminibus committendis abſtineant. *l. 1. C. ad L. Jul. repetund.* Videndum igitur reſtat, quam pœnam deſertores & Transfugæ luere debeant. Diſtinguendum hic eſſe arbitror, an hi fuerint adprehenſi, nec ne? priori caſu, regulariter capite puniuntur. Wo einer oder mehr / nach dem er Geld empfangen / wieder darüber entlieffe / oder hernach ohne Erlaubniß und ohne *paſſeport*, vom Hauffen vor Beurlaubung deſſelbigen wegzöge: Wo und wann derſelben / einer oder mehr / in ſolchem betreten würde / dieſelbe ſollen am Leib und Leben / ohne Urtheil und Recht geſtraffet werden / und jederman

 gut

Digitized by Google

gut Preiß ſeyn. Käyſ. *Ferd. III. art. XIII;* quod etiam apud Gallos obſervare licet, in der Königl. Frantzöſiſ. *Ordonance n. XI.* his verbis. Und wollen ſeine Konigl. Majeſt. einem ausgeriſſenen Soldaten keine Gnade erweiſen/ oder zulaſſen/ daß er unter einigen Vorwand/ der verdienten Straffe entgehe. Hæc Statuta quidem contra *L. 5. §. 3. ff. de Re milit.* pugnare videntur, quæ deſertorem, ex prima deſertione reſtitui vult; Sed merito hæc lex hodie amplius non obſervatur: nam ſi prima deſertio non puniretur, omnes ſane pro lubitu & ſine formidine pœnæ aufugerent, idque non ſine magno Reip. detrimento. Cæterum omnes deſertores æqualiter haud puniuntur, ſed habetur ratio loci e. g. unde quis profugiat: hinc ſi ex urbe muro valloque cincta ſe proripiat, major propoſiti conſtantia & enixa fugiendi voluntas inde colligitur, ſecus ſi pago aperto vel oppido fuerit elapſus, vel in itinere occaſione campij patentis ad hoc quaſi fuerit invitatus, Voët. *Cap. IV. n. 29. p. 37.* Qnin & ſi miles ab excubatione deſiſtat, peccatum deſertionis ſubire dicitur, in *L. 3. §. 6. de Re milit.* Præterea etiam ratio gradus militiæ, anteactæ vitæ, itemque numeri, ſi ſcilicet miles cum pluribus deſeruerit, ratio habenda eſt, *L. 5. ff. de Re milit.* Pœnæ ergo debent correſpondere qualitati criminis, *C. non offeramus. cauſ. 24. quæſt. 1. l. 11. pr. de poen. Auth. omnes peregrini C. communia de ſucceſſ.*, ubi dicitur, quod pœna ſit commenſuranda delicto, ad: Text. in *L. 1. §. 2. ff. de Abigeis*, quin & lex divina *Deuteronom. C. XXI.* præcipit, juxta menſuram delicti plagarum eſſe debere modum.

§. XIII. Graviſſime itaque ſæpius peccatur a belli duci-

ducibus, qui nullis conſideratis circumſtantiis & pro levi cauſa, militem, qui videlicet extrema neceſſitate, in quam non rarò officialium avaritia illum conjicit, adactus, animo revertendi, aut ſeductus ab aliis, aut ex ſimplicitate aufugit, ſtatim capitali afficit ſupplicio: ſane conſcientiam eorum aliqua labe notari non dubitat Speid. *in ſpeculo notabilium. lit. A. pag. 35.* In pœnis itaque deſertoribus infligendis, quam accuratiſſime Auditor ſive judex circumſtantias examinare debet, ne vel in exceſſu, vel in defectu peccet. Nam quanquam pœna ordinaria deſertionis ſit capitalis, interdum tamen & pro qualitate hujus delicti alia pœna initior dictari ſolet, e. g. cœſio fuſtium, *L. 3. §. 16. ff. de Re milit.* qua ordines virgis inſtructos decurrere oportet reum; German. durch die Spitz-Ruthen lauffen: Gall. *paſſer par les baguettes;* aliam apud Germanos caſtigatiouem huic non diſſimilem obſervare licet, quæ expeditur geſtamine baculi centurionis, den Commandier-Stab / item wenn einem delinquenten eine gewiſſe Anzahl baſtonaden zuerkant werden. Bürg. *Cent. II. Obſ. LXV.* hæc profecto dolorem eximium corpore infligit, mortique æquiparari poſſet, cum haud rara ſint exempla eorum, qui hâc rigoroſa caſtigatione occubuere. Pœna deſertionis apud Gallos vel eſt patibulum, vel condemnatio ad triremes cum inuſtione ſtigmatis in facie, idque vel in perpetuum, vel ad certum tempus; qui tamen ultimus modus puniendi contra legem eſſe videtur, *L. 17. C. de pœn.* Jac. Bürger. *cent. 2. obſ. 88.*

§. IV. Sequitur nunc pœna eorum, qui adprehenſi non ſunt & ad publicam citationem non compa-

rent,

rent, quæ quidem evocatio inter equites per tubas, inter pedites per tympana (in vicem Campanæ,) & vocem præconis fit, idque tertia vice, per intervalla; cujus formula legi poteſt apud Serotinum, *pag. 244. & pag. 372.* Si ſe non ſiſtant, nomina eorum vel effigies patibulo affiguntur, ſi quæ bona adſint, præſentibus quibusdam officialibus annotantur, obſignantur, ne quidquam abſenti proficiat in fugam, relicta uxori & liberis ſolum neceſſaria proviſione, Adr. Beier. *Jur. milit. prud. tit. de proceſſ. Crim. theſ. XIV. n. 1532. p. 674.* Transfugæ porrò, cum proditoribus accenſeantur. *l. 7. ff. de Re milit. l. 19.* §. *4. ff. de capt. & poſtlim.* non amplius militum nomine comprehenduntur: hinc privantur privilegiis militaribus *l. 14. ff. ex quib. Cauſ. Maj.* non habent jus poſtliminii *d. l. 19.* §. *4.* nec teſtamenti factionem; modo tamen per ſententiam fuerint declarati hoſtes: Behaimb. *de milit. delinquente obſ. LXIX. pag. 175.*

§. XV. Iliud denique circa pœnam deſertorum notaſſe meretur, quod Impp. conſtituerunt in *l. fin. C. d. abolit.* in violata majeſtate, aut patria oppugnata, vel prodita, aut peculatus admiſſo, aut Sacramentis militiæ deſertis, abolitionem locum non habere, ſed judicem non minus accuſatorem, ad docenda quæ detulit, quam reum, ad purganda quæ negat, urgere debere.

§. XVI. Ad adjuncta & affinia deſertionis quòd attinet, ſimilitudinem cum his habent cives, qui malitioſe, invitis Dominis & ſuperioribus, jus civitatis reſignant & alio migrant? De his verò loquor, quibus emigrandi facultas non competit, idque ex locorum conſuetudine: alias enim quilibet poteſt alibi ſibi domi-

cilium

Digitized by Google

cilium & ſedem figere, idque invito domino. Gail. 2. *obſ. 36. n. 4. argum. L. 5. §. fin. ff. de captiv. & poſtlim. L. 31. d. t.* Moris tamen eſt multis in locis, ut à diſcedentibus cenſus emigrationis exigatur: ſi quis itaque alio migraturus jus civitatis non legitime reſignet, vel cenſum debitum non præſtet, quamvis juribus civitatis amplius non fruatur, tamen onera civica adhuc ſuſtinere tenetur, quia illegitimo diſceſſu ab obligatione, quâ obſtrictus erat civitati, ſe non liberavit, nimirum ſi renunciatio fiat in fraudem jurisdictionis, inſtituta jam actione & inſinuata citatione, vel etiam ad ſubterfugiendum onus publicorum munerum. *l. 50. C. de decur. l. 26. & l. 29. eodem*, item, ſi urbe obſeſſa civis, ne debita ſervitia in tali imminenti periculo contra hoſtes præſtare teneatur, aufugeret, cùm tamen vi Juramenti, quod Magiſtratui præſtitit, ad conſervationem ſalutis publicæ obligetur. Ulterius invito domino domicilium mutare nequeunt homines proprii, quia ſunt glebæ adſcripti; ipſi namque & eorum liberi perpetuò coguntur adhærere fundo, hincque inter immobilia numerantur. *l. ſiquis prædium. C. de Agric. & Cenſ.* Mindan. *de mandat. lib. 2. C. 67. n. 8.* in comitatu Montbelgardenſi vocantur *Feodaux*, *Gens de main morte.* Ejusmodi homines proprii aliis multis in locis dantur, ut in Gallia, Germania, Weſtphalia, Geldria; Elbertus Leoninus *lib. 6. emend. & obſ. jur.* in Marchia, Suevia, Mekelburgia, Pomerania, Boruſſia & Livonia. Rennem. *de jur. perſon. D. 40. th. 13. a*, in Bavaria, nec non in Polonia: Jacob. Priluſius. *Comm. in Leg. Polon. lib. 1. c. 17.* Hinc ſi tales aufugerint, poſſunt repeti, arg. *l. 23. C. de*

 agric.

agric. & Cenſ. l. un. C. de Colon. Palæſt; nec non vinculis detineri, arg. *l. un. C. de Colon. Illyr.* debentque cum omni jure ac peculio reſtitui. Mæv. *ad Jus Lubec. lib. 1. tit. 3. a. 3.* Attamen iſti homines proprii, juxta conſuetudinem locorum, non uno eodemque modo tractantur, nam in uno loco auſterior eſt illorum ſervitus, quam in alio. Tertiò, huc veniunt Apoſtatæ fidei, a Græco *ἀποστασίω deſero*, qui ſcilicet, deſerunt ſuſceptam ſemel fidem chriſtianam, & tranſeunt ad hoſtes religionis, vel ad Judaiſmum, aut Mahometi impietatem, vocantur alias Apoſtatæ perfidiæ, vel Renegati *in Can. non poteſt. cauſ. 2. q. 7.* tales renegati proh dolor! quam plurimi in imperio Turcico, qui vel honoris, vel pecuniæ comparandæ gratia, chriſtianam religionem mutarunt, invenire licet; quippe ſoli renegati ſive chriſtiani apoſtatæ, ad ſupremas dignitates militiæ atque imperii admittuntur, & nullus poteſt fieri Vezirius, vel Baſſa, aut Janizarus, vel Spahi, qui non ſit chriſtianis parentibus prognatus & fidem abjuravit, ita ut gubernatio ottomanici imperii, fere tota ſit penes chriſtianos apoſtatas. Horn. *Orb. Polit. part. 1. VIII. §. 1. p. 32.* His accenſentur etiam Apoſtatæ religionis; entlauffene Münche; Gallic. *Moines defroqués*, qui monaſticam religionem ſine licentia ſuperioris deſerunt, vel ab uno ordine ad alium tranſeunt. *Can. fin. Diſt. 50. Can. Quantumlibet. Diſt. 47. Can. Beatus. can. 3. q. 4.* Hi ſolent carceribus mancipari, donec deſertum habitum religionis reſumpſerint. *C. penult. d. apoſt.* & deprehenſi in crimine, qui ſcilicet deſerto ordine clericali & habitu tanquam laici converſantur, poſt trinam

qui-

Digitized by Google

quidem monitionem, ſi clerici fuerint primæ tonſuræ, ſacri verò ordinis apoſtatæ, ipſo jure, ut communius obtinuit, vel poſt unam ſaltem monitionem, amittunt privilegium clericale. *c. 1. h. t. c. In audientia 25. & c. contingit. 45. de ſent. excomm.*

CAP. II.

De Transfugis.

§. I.

AD alteram partem diſſertationis noſtræ, nimirum de Transfugis, omiſſa in originem hujus vocis inquiſitione, ad definitionem me converto. Transfugæ nim. dicuntur hi, qui ab his, ſub quorum ſunt imperio, deſiſtunt, & ad hoſtes, vel eos, cum quibus nulla eſt amicitia, fide ſuſcepta tranſeunt, *l. 5. ff. d. Capit. Minut. l. 19. §. 8. ff. de Capt. & poſtl.* Dicuntur & proditores *l. 5. §. 5. l. 7. ff. de Re milit. l. 19. §. 4. ff. de Capt. & poſtl.* quia ſolent prodere ſtatum & conſilia exercitus, ideo non amplius militum nomine comprehenduntur, & quanquam ab hoſtibus remiſſi, non reſtituuntur. *l. 5. §. 6. ff. de re milit.* Miles enim qui ad hoſtes confugit, licet redeat, pro vero Transfuga tamen haberi debet. *l. 3. §. 10. ff. eodem*, nam ſufficit, quod inſalutato officiali, vel ſine ejus venia, ad hoſtem tranſiit; Immò ſola voluntas transfugiendi punitur, licet eventus fuerit impeditus, ſi forte volens ad hoſtes tranſire, fuerit deprehenſus. *l. 3. §. 11. ff. de re milit.* Si itaque nonnullæ contra mili-

Digitized by Google

tem, de transfugiendi voluntate præſumtiones militent, per torturam poterit indagari veritas. Voët. *c. l. n. 20.* Specialem caſum, de transfuga recipiendo, habet *L. 5.* §. *fin. ff. eodem tit.* quæ dicit: ei, qui transfugit, & poſtea multos latrones adprehendit, & transfugas demonſtravit, poſſe parci, veluti divus Adrianus reſcripſit.

§. II. Qui nunc per hoſtes ſint intelligendi, videamus. Hoſtes ſunt quibus bellum publice populus romanus decrevit, vel ipſi populo romano. Cæteri latrunculi vel prædones appellantur. *L. 24. ff. de capt. & poſtl. l. 118. ff. de V. S.* Sic per hoſtes non ſolum milites intelligimus, ſed etiam quascunque adverſæ Reip. perſonas, ſive ſint cives, ſive incolæ, ſive maſculi, ſive fœminæ, ſenes, vel infantes, poſtquam & has perſonas interficere licet. Grot. *de J. B. P, Libr. 3. c. 4.* §. *9.* Igitur, ut proprie dicantur hoſtes, bellum non quodvis, ſed publicum, idque ſolemne ſit oportet: hoc autem ut ſit, populi alicujus auſpiciis, ejusve ſupremi capitis, ſummum habentis imperium, utrinque geri & decerni neceſſe eſt. Cæteri, qui in plenam gentem non coierunt, & furtim magis, quam palam infeſtant, latrunculi & prædones appellantur. Hinc latrocinia bellica & latrones veris hoſtibus creberrime opponuntur. Illud autem quod inter diverſos populos ex edicto geritur bellum, juſtum piumque auctoribus audit. Quo ſenſu juſta & pia bella, turpibns & impiis pugnis opponit Florus *Libr. II. cap. XIX. iu fin.*

§. III. Quæritur jam, an qui à bello abſtinent, & extra partes ſunt, nimirum die *neural* ſeynd / ſi faciant

ciant quod hoſti prodeſt, hoſtes dici queant? reſpondetur quod ſic; nam eorum officium eſt nihil facere, quo validior aut locupletior fiat is, qui contra militat. Apud Agathiam legimus, hoſtem eſſe, qui facit quod hoſti placet, & Procopio, in exercitu hoſtium eum cenſeri dicitur, qui, quæ proprie ad bellum uſui ſunt, hoſtili exercitui ſubminiſtrat. Demoſthes olim dixerat, qui ea facit & machinatur, quibus ego capi poſſim, etiamſi nec feriat, nec jaculum emittat, hoſtis mihi eſt: Æmilius Prætor Tejos arguit, quod commeatu claſſem juviſſent, vinum promiſiſſent, ni eadem Romanæ claſſi darent, ſe pro hoſtibus eos habiturum. Corcyrenſes apud Thucydidem, Athenienſium officii eſſe ajunt, ſi extra partes eſſe velint, aut Corinthios prohibere, ne ex agro attico militem conducant, aut idem ſibi permittere. Philippo Macedonum Regi, objectum a Romanis, dupliciter ab eo fœdus violatum, & quod ſociis populi Romani injurias fecerit, & quod hoſtes auxiliis & pecunia juverit. Quod Helvetii ante paucos annos, tranſitum Rheni quibusdam cohortibus & legionibus cæſareis, Duce Principe Commerci, permiſerint, vehementisſime Rex Galliæ ad eos reſcripſit: Helvetii vero hac excuſatione uſi ſunt, ſe nimirum hunc tranſitum ignoraſſe & ſe ſemper utrique parti æquos præbuiſſe. Permulta & alia ejusmodi exempla patent, ſed ne a theſi recedere videamur, ad alia tranſibimus.

§. IV. Supra diximus, quod Transfugæ ſint hi, qui ad hoſtes tranſeunt; requiritur ergo bellum, nam tempore pacis nullus intelligitur nec præſumitur hoſtis eſſe. Sed quæſtio poſſet moveri, utrum qui per tempus

Digitized by Google

induciarum, cum tunc omnis pugna ceſſet, omniſque actus hoſtilitatis ſit prohibitus, pro Transfuga haberi queat? Nullum eſt dubium, nam induciæ ſunt, cum in breve tempus convenit, ne hoſtes invicem ſe laceſſant; induciæ in bello ſunt otium. Grot. *Libr. 3. Cap. XXI. 2.* Non pax ſunt induciæ, bellum manet, pugna ceſſat, auth. Gell. ergo idem eſſe puto, ſi miles tempore induciarum ad hoſtes fugerit, *L. 19. §. 8. ff. de Capt. & poſtl.* Nam tamdiu, quamdiu pax cum hoſte compoſita non eſt, nec miles ſuam dimisſionem obtinuit, ſi fidem hoſtium ſuſcipiat, talem verum transfugam eſſe, dubitandum non eſt. Si itaque miles cæſareus, hodie ad Turcas, cum quibus ſunt iunduciæ, ſe recipit, quoniam Imperator Turcarum nullam pacem cum Romano ſolet inire, hoc tamen non obſtante, pro transfuga haberi poteſt: nam, ut ſupra dictum, Armiſtitium non facit, quo minus bellum duret.

§. V. Quid verò dicendum de milite, qui intentionem transfugiendi ad hoſtes non habuit, ſed ab hoſtibus, cum redire poterat, fortuito captus fuit, quæritur, num ille pro transfuga haberi posſit? Simpliciter reſpondendum videtur, quod non, quia dolo caret, dum ſuum ſacramentum violare voluiſſe, non præſumatur, nec deſiſtere ab his, ſub quorum eſt imperio, imô nec ad hoſtes tranſire. Attamen hoc non obſtante, pro transfuga illum haberi, vult *L. 5. §. 5. ff. de re milit.* Ratio ſine dubio, quod cum redire poterat, non rediit, magna enim culpa dolo æquiparatur, inquit Paulus in *L. 226. d. V. S.* deinde, qui ſua culpa damnum ſentit, id non ſentire videtur: Quin & imputet ſibi, quod forſan commeatus ſpatium exceſſerit. *L. 14. ff. de re milit.*

Por-

Porro, maxima exinde eſſet expectanda circumventio; quippe omnis transfuga, ad legis pœnam evitandam, ſi iterum à ſuo domino caperetur, ſe captivum diceret. Memini cujusdem militis cæſarei ad Rhenum, qui ſub prætextu pabulationis caſtris egreſſus, ad hoſtes tranſiit, poſt paucos verò dies, iterum captus, ſine forma proceſſus, patibulo ſuſpenſus fuit, nullo habito reſpectu ad defenſiones, quibus ſe tueri volebat, dicens, ſe ex caſtris hoſtium diſcesſiſſe, ad priſtinum dominum recuperandum. Nullum igitur dari ſtatum, puto, qui majorem juris rigorem exigat, Statu militari, cùm hoc certum ſit, majus detrimentum Rempublicam ſentire non poſſe, quam quod per negligentiam juſtitiæ militaris accidere ſolet. Jacobus I. Rex Angliæ, in libello, cujus eſt titulus: *L' Inſtruction de bien regner*, ita loquitur: *Soyez rude & ſevère, en l' obſervation de la diſcipline militaire, tant pour l' ordre, qui n'y eſt pas moins neceſſaire, que la valeur; que pour la punition des poltrons, & des lâches, lesquels peuvent facilement mettre une armee en deroute & en peril. Les Espagnols vous peuvent ſervir d' exemple: car l' hüreux ſuccez de leurs guerres & entrepriſes, ne vient que de leur bon ordre & étroite diſcipline.*

§. VI. Quid autem, ſi miles ante finitam militiam comperiatur, dominum, ſub cujus eſt imperio, militare contra patriam & lares domeſticos, nec posſit ſuam dimisſionem ab officiali obtinere, an teneatur continuare officia ſua militaria, & ſi aufugerit, pro transfuga

ſuga haberi posſit? Puto quod ſic, nam imputet ſibi, ſi ab initio ſuſceptæ militiæ bonitatem cauſæ ſui domini non conſideraverit; nam ſervitia ſemel ſuſcepta, propria authoritate deſerere non licet, nec in medio curſu belli pœnitere, præſertim ſi miles ad ſervitia ſuſcipienda coactus haud fuit; nec enim licet militi inquirere in cauſas belli, ſed in omnibus obedire debet, ac juſſa Ducis adimplere, non habito reſpectu, juſta ea ſint nec ne: Bellum enim cœcam requirit obedientiam, ſecundum Beierum *in ſua Jurispr. milit. num. 1235.* Nec obſtat illud Grotii, *Libr. 2. c. XV. XIII.* ad injuſta bella nullam eſſe obligationem, hic enim de militibus non loquitur Grotius, ſed ſaltem caſum ponit, ſi nempe plures bellum gerant, utri potius opem ferre debeat is, qui utrique parti eſt confœderatus, & concludit in favorem ejus, qui juſtam habet belli cauſam: atque hoc ſane æquitati conſentaneum, nam naturaliter ad juſtum potius, quam ad injuſtum bellum, proniores eſſe debemus. Sed, ut ſupra dictum, arma ſemel ſuſcepta, ſine gravisſima pœna miles deſere non poteſt.

§. VII. Alia quæſtio proponenda hic ſe exhibet, nimirum: an, ſi Dux poſt longi temporis ſpatium ceſſaverit in ſolutione ſtipendii, & miles ad hoſtes tranſierit inque manus primi Ducis inciderit, pro transfuga habeatur? diſtinguendum eſſe puto, an ſolutio exigua, & ob neceſſitatem aliquam, vel ipſius Ducis penuriam omiſſa ſit, an verò ipſe Dux culpa ſua, & dolo illam diſtulerit. Priori caſu ſi miles transfugerit, transfuga eſt; hæc deciſio extat in Käyſers Maximiliani ſecundi, *Articuls*-Brief *artic. 10.* Ferner ſollen ſie dreyßig Tag

vor

vor einen Monath zu dienen ſchuldig ſeyn/ wie dann der Gebrauch iſt/ und ſoll einen jeden auf ein Monath Sold vier Gulden/ zu 15. Batzen oder 60. Creutzer gegeben und bezahlet werden/ doch da das Geld nicht gleich da wäre/ ſo ſollen ſie Gedult tragen/ und nichts deſtoweniger ihre Wacht verſehen/ und keinen Zug gegen die Feinde abſchlagen/ wie den Kriegsleuten gebühret. Poſteriori caſu, ſi dux moretur ſolutionem nec alias ſuppeditetur commeatus, & miles transfugerit, non erit verus transfuga, nam per eum non ſtetit fidem datam & contractum adimplere: ceſſante enim cauſa ceſſat effectus: imputet igitur ſibi dux, quod ſtipendia promiſſa juſto tempore non exſoluerit: exacta enim ſolutio modeſtum efficit militem, ait Grot. *Lib. 3. c. 17.*

§. VIII. Expoſuimus in prima parte hujus diſſertationis, quæ de Deſertoribus egit, quod fœminæ plane à militia removeri debeant, propter rationes jam ſupra allegatas: interdum tamen accidit, ut fœmina habitu virili aſſumpto ſibi nomen maſculum imponat, ſeque in numerum militarem referri patiatur: quæritur ergo ſi talis Amozana transfugerit, & caſu aliquo in manus priſtini domini inciderit, num pro transfuga haberi queat? Speidelius ſic reſpondet, quod ſi in habitu virili & functione militis capta fuerit, quamvis poſtea ſexus detectus, & fœmina inventa, tamen transfuga dici poſſit, quia qualis quis invenitur, talis etiam judicatur. *l. 15. §. 11. ff. de Injur. & Argum. l. 50. ff. Locat. Cond.* Deinde, inquit, duplici delicto illa peccat, nimirum falſi, quod ſe virum mentita fuerit, & quod transfugerit: accedit & hæc ratio, quod

Digitized by Google

quod tantum nocere poſſit fœmina, quantum vir, ſcilicet prodere conditionem & conſilia exercitus. Si vero in habitu muliebri, nec apud hoſtem reperta ſit, tunc mitius cum ea agi poterit, & tantum pœnam falſi incurrere putat, *Speculo Notabilium Lit. A. pag. 34. 35.* Attamen ſalva Speidel. ſententia, mihi videtur parum referre, an illa in habitu muliebri an virili reperta ſit, cum ſufficiat, illam per tranſitum ad hoſtes conſilia exercitus detegere potuiſſe: habitus enim, qualiscumque ſit, non impedit, quo minus quis ſtatum prodere queat, ideoque illa pro transfuga haberi poteſt, & æque fœminæ ac mares ſunt puniendæ, quæ actus hoſtiles exercent. Voet. C. 4. *de Iur. milit. n. 13. p. 137.* at vero ad hoſtes tranſire, eſt actus hoſtiles exercere. Nam transfugæ dicuntur hoſtes, nec amplius pro militibus habentur. *l. 7. ff. de Re milit.*

TANTVM!

ROMA

Digitized by Google